

De la Lib. a del C. Ramón de Cuenca
V I L L A E.

I O. B A P T I S T A E
P O R T A E, N E A P O -
L I T A N I,
L I B R I X I I:

- | | |
|---------------------|----------------------|
| 1, Domus | 7, Vineæ |
| 2, Sylva cædua | 8, Arbustum |
| 3, Sylva glandaria | 9, Hortus coronarius |
| 4, Cultus & insitio | 10, Hortus olitorius |
| 5, Pomarium | 11, Seges |
| 6, Oliuetum | 12, Pratum. |

*IN quibus maiori ex parte, cum verus plantarum cultus, certaq;
insitionis ars, & prioribus seculis non visos producendi fructus
via monstrantur; tum ad frugum, vini ac fructuum multiplica-
tionem experimenta propemodum infinita exhibentur.*

Adiecto INVENTARIO quamcopiosissimo.

M D



XCII.



FRANCOFVRTI

Apud Andrea Wecheli heredes, Claudium Marnium,
& Ioannem Aubrium.

Cum S. Casarea Maiestatis priuilegio.



IOAN. BAPTISTAE
PORTÆ NEAPOLITANI

VILLAE
LIBER PRIMVS
SIVE
DOMVS.

De Agricultura laudibus, & necessitate. CAP. I.

10 **S**ATIS sanè inurbanum, & rusticum videretur, si nostram villam ingressurus, in ipso statim ianuae limine, ab aliqua ingentium ipsius laudum præfatione deficerem. Animo autem volutanti, quæ, qualèsvæ fuerint Agriculturae diuitiæ, delitiæque, adeo innumeræ occurrunt, vt vnde incipiam, non sat assequi possim. Nam si necessitatem considero, tanto est humano generi emolumento, vt ea carere nullo modo possis. Si utilitatem, inter primas non postrema: aut quænam illi poterit comparari? Si voluptatem dignitati commistam, ea est excellentia, ea authoritas, ea denique maiestas, vt non reperias vnam ex maximarum artium numero, quæ non illi, tanquam reginæ famulari videatur. Sed in huius pomcerij angustiis nostræ orationis pauperiem vereor & reformido, quum linguam in eloquentiæ studiis
20 non ita exercuerim, vt strenuas manus in eius exercitatione nauiter impenderim. Sed ita suis floribus exornari velim, vt nil ipsius gloriæ authoramento detraherem, & quæ loquar omnia, & meliora, & (vt verè sunt) locupletiora ob oculos exponerem, ac vellem, si possem, vt nouus Atlas humeris terram ad astra vsque sustollere. Quòd humano generi pernecessaria sit, euidentius est, quàm vt pluribus probari velit: sine enim rebus, quas rerum parens, & nutrix Natura edit, humana conditio subsistere nõ posset, & qui id negauerit, & ma-